



E libris

**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

*G. o. 167.*



~~80~~





*Lat*

ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΣ,  
SIVE DE  
**INSTITVTIONE**  
PVERILI  
**DIALOGVS,**

IN QVO NOVA LINGVARVM TRADEN-  
DARVM RATIO, NVPERRIME COM-  
MENDATA, EXPENDITVR.



---

LIPSIAE,  
apud FR. GOTTH. IACOBÆER et FIL.  
MDCCCLXXVII.  
**FUNK.**



L 293,



## AD LECTORES.

**C**Quum omnia iam ferueant disputatio-  
nibus de scholarum, et omnis omni-  
no institutionis atque educationis  
puerilis necessitate, utilitate, naeuis, et emenda-  
tione, recentissimique de his rebus per omnem fere  
Germaniam motus hanc ipsam in duas partes di-  
uersam distraxerint; licuit, opinor, et nobis, pul-  
uerem scholae cum priuatae, tum publicae, nonni-  
hil expertis, nostram de noua, linguas, maxime  
latinam, tradendi ratione, quae ubique tanto plau-  
su visa est excipi, sententiam, quantum quidem  
sine cuiusquam contumelia fieri potuit, libere di-  
cere. Qua de re si aut nihil dixisse omnino, aut  
certe operae pretium non fecisse multis videbimus,  
(in quo concedendo nemo obstinatos nos reperiet)

A 2

hoc

hoc certe noui in hoc libello videmur nobis praefuisse, quod res dudum ab aliis dictas veteri, seu veterrima potius, ratione proponere, hoc est, dia-  
logico vestitu, ex more Graeco ac Romano, indu-  
tas efferre tentauimus. Qui mos, quanquam ille  
difficilis imitatu, tamen iucundissimus idem ad le-  
gendum, et ad iudicandum de veritate praestans-  
simus, adeo heu! in obliuionem venit, ut a plu-  
ribus inde, quam centum, annis nec vola nec ve-  
stigium eius in republica litteraria apparuerit.  
Itaque, si vel hoc tantum nobis contigerit, ut hoc  
exemplo eum paulisper reuocaremus, aut adoles-  
centibus ingeniosis facem quodammodo praeferre-  
mus, quomodo nostris temporibus veteres, hac qui-  
dem in parte, imitandi sint, profectio abunde nos  
qualiscunque opellae huius fructum tulisse existima-  
bimus. Tu vero, Lector beueole, boni has pa-  
ginas consule, et bene vale. Scripsi G\*\*\* d. 30.  
April. MDCCCLXXVII.

---

C.D.




C. D.



Cum iam saepius in praedium amoenissimum ad Albim Philanthropus me inuitasset, in quo ille vna cum vxore optima et liberis vitam felicissime inde ab aliquot annis transigit; non potui non ei tandem promittere, me, simul atque negotiorum publicorum et priuatorum ratio siuisset, dies aliquot ipsi et familiae eius, multis de causis carissimae, daturum esse. Sed consilium hoc, quanquam inde ab aliquo tempore in paucis curae cordique mihi fuerat, tamen, ut sit, semper, aliis laboribus alios excipientibus, dilatum, aliquando etiam omisum, tandem nuperrime paullo vehementius animum percussit, praesertim, quum et laborum numerus aliquantum decrescere, et anni tempestas inuitare, et denique corporis quaedam infirmitas, aëris et caeli serenitate forte discessura, quasi cogere me ad

A 3


exfe-



exsequendum propositum videretur. Itaque, collectis sarcinulis, ad eum profectus sum. Ad quem cum venirem, ille de longinquo me, equo veclum, conspicatus, vix continere impetum animi potuit, quin ad me accurreret, ac sedentem stans complectetur, adeo diuturna absentia et videndi exspectatio desiderium mei apud illum auxerant. Certe magno adhuc interuallo disclusum illo poëtae


— — tandem venere — —

allocutus, cum prope accessissim: Euge, inquit, bone vir, quam dissimiles inter nos sumus; tu vix, quae promisisti, ea iam seruas; at ego lange plura praestabo, quam promiseram. Qui sic, inquam? Audies, imo senties, ille ait, quin intro vieris. Atque inter haec domum eius intraveramus, vbi, tradito famulis equo, statim in eius cubiculum aduolabam. Ibi vxor eius et parvuli, partim ludentes circa matrem, partim in hospitem nouum intenti, quem nondum viderant, me exspectabant. Quos ego complexus omnes, eorum blanditiis exsatiari vix poteram, et cum illis matrem, tum vtrisque patrem, quippe quem intus et in cute nossem, apud animum meum gratulabar. Salutationibus deinde vtrinque acceptis et redditis, ego tandem: Vbi sunt igitur illa, inquam, Philanthrope, quae te plura mihi praestitum paullo ante dicebas, quam et ego tibi praefliterim, et tu quoque ipse mihi promiseris? Subridebat ille paullulum, sed non modo ille, verum et



et vxor cum paruulis, ac parietem oblique intuebantur, cum ego interim diu responsum exspectans, neque quidquam suspicatus, tandem circumspiciens, de pariete linteo aliquem post tergium meum furtim proreptantem animaduerto, omnesque simul cachinno ingenti circa me effusos video. Atque ibi sane miratus sum, quantum casus et fortuna posset, quae ea interdum sua sponte efficit, et quasi in vnum compingit, quae multorum saepe deliberata consilia et voluntas, imo conatus et labores suscepiti perficere non potuerunt. Videbam enim stanum post me Fundanum, amicum nostrum communem veterem, quo citius quemcunque alium ab Indis atque Afris visurum me putassem. Qui cum et mecum, et cum Philanthropo, inde a pueris, pari ingenio, studiis et voluntate in schola adoleuisset, in Academia deinde hanc amicitiam diligentissime continuasset, et postquam per suae quiske sortis conditionem, alias alio, vt fit, dilapsi essemus, centies per litteras mihi (vt ego vicissim illi) promisisset, se esse me inuisurum, centies vero etiam vterque in hoc proposito impediti variis rebus essemus, vt, tum quidem sexennio amplius neuter alteri quidquam de rerum suarum statu scripsisset; hunc igitur, cum primum rursus praeter opinionem confixsem, qualis mihi tum sensus, quae mens fuerit, liquido, opinor, potest ab unoquoque cognosci. Itaque denuo salutationes mutuae, denuo amplexus dulcissimi, denuo quaestiones mutuae de rebus ad me et illum pertinentibus, quaruit

A 4




ne possem quidem, etiam si cuperem, remiuisci. Solet enim hoc post longam absentiam sese videntibus accidere, ut omnia, quae vel narrare, vel sciscitari volunt, uno quasi impetu effundant, sexcenties eadem dicant et quaerant, ad neutrum tamen responsione exspectata, unum in altero obliuiscantur. Quod et mihi tum, audo audiendi, quae Fundanus narraret, ita euenit.

Arcessierat autem eum Philanthropus ab inferiori Saxonia, (vbi ille sedem fixam tum habebat apud nobilem quendam virum, non satis lautis conditionibus) ut eum, paullo melioribus, liberorum suorum educationi et institutioni praeficeret. Est enim Philanthropus, si quis vspiam alius, idoneus ingeniorum ac meritorum aestimator; qui, cum opus haberet homine dextro ac fidelis, cui liberorum suorum curam committere recte posset, audissetque, Fundanum, amicum veterem, his dotibus cum primis instructum, non eo loco apud herum suum haberi, qualem ipsius eruditio ac fides meruisse, statim ad se eum per litteras euocauerat. Idque eo magis sibi faciendum putarat, quoniam multos viros summos in Academiis et alibi, ut sibi eiusmodi hominem procurarent, frustra adierat, quod omnes negarent, sibi talem occurgere. Est enim iam fere communis parentum ac patronorum querela de mira eorum per has regiones paucitate, imo penuria, quoniam aut animus non abhorreat ab huius muneric olestia, aut ingenia apta sint ad puerilem institu-

tutionem suscipiendam, aut doctrina tanta, quanta ad hanc rem requiratur, aut mores denique illi, quos honestarum familiarum oculi vel aures non admodum refugiant, nedum, ut liberis ipsarum pro exemplo, quod imitentur, esse possint. Atque omnino, nescio quo veluti fato, fieri videtur, ut nunc plerumque vel optimi patres familias incidant in paedagogos pessimos, aut, sicuti adhuc sunt boni paedagogi, deferantur ad pessimos patres familias; vix autem unquam contingit, ut, quemadmodum fieri videbatur debere, digni dignis, hoc est, boni bonis, mali malis occurrant. Itaque facile existimari potest, quantum gaudii Philanthropus ceperit, cum ex eo, quod, in tanta bonorum paedagogorum penuria, Fundani memoria opportunissime eius mentem tetigisset, tum etiam, quod huius res in Saxonia inferiori eo loco fuissent, ut statim proutum eius animum reperiret, ad hanc operam veteri amico nauandom. Aducnerat autem non multis diebus ante me domum eius, et tunc maxime in eo erat, ut, ordinata supollectile, certam quandam ac ratam viam et rationem describeret, qua in imbuendis religione sanctissima et reliqua liberali doctrina parvolorum suorum animis postea vteretur. In quo communem operam vterque nauabant, et Fundanus et Philanthropus, communicandis inter se consiliis, audiendis ac remouendis dubitationibus, et excogitandis institutis domesticae disciplinae regundae; quae res, in duobus maxime ingenuis

A 5

talibus,




talibus, vix sinebat non magnos et egregios fructus sperare.

Dum igitur de his et aliis rebus variis internos confabulamur, dilapsa a nobis erat Philanthropi familia, vxor coenam parabat, et liberi partim ad sua quisque ludiera reverterant, partim ad statas lectiones Fundanum auocabant. Qui cum abiisset, ac, propter aduentum meum, vnius de duabus horulae discipulis suis hodie gratiam se facturum dixisset, quo citius ad nos redire posset; Philanthropus, postquam soli eramus: Quid tibi videtur, inquit, de Fundano nostro? Num idem, qui olim, an immutatus? Ego vero, inquam, quantum ex primo adspectu post tam longam absentiam licet coniicere, vtrumuis tibi responderim. Qui sic? ille inquit. Quod ad externam, inquam, corporis totius figuram et morum habitum attinet, immutatum fane haud paullo, non verear dicere. Est enim, ut ipse vides, multo, quam olim, agilior, humanior, blandior; et cum antea esset tardus, immobilis, ac ridiculus interdum, ecce, quam nunc omnibus patet, scit cum aliis conuersari, etiam (ut video) cum feminis adeo, quod delicatissimum est genus, et cui difficillime placeas. Ut satis mirari non possim, quomodo quis tam alius a se ipso fieri possit, quem natura non tales fixerit? Sed, credo, ab multiplici cum variis hominibus conuersatione hoc venit, ut, qui saepe ab alio loco in alium, quasi ventorum procellis iactatus est, alios ubique homi-

homines viderit, alios ritus, alios mores, tandem nescius ipse et inuitus, illud μονοτροπωπον exuat, et variis rebus ac personis accommodare se discat, tanquam ille apud poëtam πολύτροπος,

*Qui mores hominum multorum vidit, et  
urbes.*


Est sane, ut dicis, ille inquit, et quamdiu soli in museo nostro inter mortuos libellos sedemus, et meditabundi caelum ac terras emetimur, tamdiu quoque foli sapere, et reges adeo esse nobis vide-  
mur; simul vero extra hos circulos paullulum euagaimur, statim in aliud quasi orbem deferi-  
mur, qui aliam vitam, alios mores postulet.  
Quod ipsum quoque Fundano nostro ita videtur contigisse. Sed, ut ne mittamus, quod ante dice-  
bas, quomodo tu putas eum, qui tam diuersus a se ipse sit, quodammodo eundem quoque simul dici posse? Id vero, inquam, eo sensu dictum  
volo, ut idem adhuc animus, eadem officiositas,  
idem erga nos candor in eo emineat, quo olim  
in schola et Academia conspicuus erat. Ac pro-  
inde felicem quoque praedico, qui, virtutibus pri-  
stiniis in illa iactatione non amissis, tamen naeuos  
quosdam externi habitus non vano successu corre-  
xerit. Tu quoque, Philanthrope, non male,  
opinor, liberis tuis consuluisse, cum hunc homi-  
nem eorum institutioni praefecisti. Tum ille  
subridens: Nondum poenitet me quidem certe  
huius consilii, et multum ab eius ingenio et fide  
sperari credo posse. Sed unum tamen adhuc est,  
quod



quod non finit me, de liberorum meorum salute  
 ac felicitate sollicitum, plane securum conquie-  
 scere. Quid, inquam, quaeso, illud est? An tu  
 a Fundani moribus aut animo liberis tuis quid-  
 quam times? Quod omen ut longissime Deus  
 auerat, opto. Minime vero, inquit; sed est  
 aliud, quod ad viam ac rationem linguarum tra-  
 dendarum pertinet. Quid igitur id est? Tum  
 vero Philanthropus: Cum ille per tot annos in  
 variis familiis hominum honoratorum, qui ple-  
 rumque cum diuitiis mollietiam quoque animi con-  
 jungunt, versatus sit, audieritque varios cum pe-  
 ritorum tum imperitorum sermones de instituen-  
 dis pueris, qui, quidquid laboris in discendo est,  
 adeuntum discipulo, in praceptorum omne de-  
 uoluendum dicent; videtur inde coloris nonni-  
 hil eius et animus et institutio traxisse. In qua  
 quidem sententia cum iamdudum fuisse, confir-  
 mavit eum, ut equidem opinor, nouissimum e  
 Saxonia inferiori iter, quo se ad me contulit.  
 Nam cum ei transeundum esset per terras nobis  
 vicinas, audissetque, ibi sollemnia celebrari nouae  
 cuiusdam virtutis atque artium palaestrae aperien-  
 dae, (de qua tota iam Saxonia, imo Germania lo-  
 quitur) non putauit, omittendam sibi tam com-  
 mode oblatam occasionem, qua, *ως ἐν παρόδῳ*,  
 cognoscere tam lepidum institutum posset. Sed  
 tantum quidem bono Fundano, lucri dicam, an  
 detruenti attulit illa spectatio, ille magnificus  
 ceremoniarum externalium apparatus, qui tum  
 ibi dicitur apparuisse, coniunctus ille cum splen-  
 dida

dida principis erga praesentes munificentia, vt  
 (quod multis quoque cordatis viris aliis audio ac-  
 cidiisse) quasi inebriatus et fascinatus inde redierit,  
 planeque aliud iam de ratione discendi ac docen-  
 di sentire videatur, quam olim sensit, veterem  
 ubique accuset, nouam commendet, Orbilos,  
 Criticistros, Phraseologos, Grammaticastros cre-  
 pet, et eiusmodi alia, quae ex ipso facilius, quam  
 ex me, paullo post cognoscet.

Mira tu quidem hic mihi narras, inquam, et,  
 quae ego, nisi tibi, crederem profecto nemini;  
 sed tamen ea me non valde sollicitum habent.  
 Primum enim hi sunt breues ab recenti rei visu  
 aestus, qui, cum primum feruens memoria refri-  
 xerit, per se ipsi facile cessabunt. Deinde plus  
 in Fundano nostro subest solidioris doctrinae,  
 quam in reliquis adolescentulis nostris, ad saeculi  
 morem penitus compositis, qui nonnisi ex fama  
 et auctoritate magnorum virorum pendent, prout  
 hi nouae cuiquam rei aut fauent, aut aduersantur.  
 Itaque cito eum, spero, ad se redditum, praeser-  
 tim, si ab vtroque nostrum serio admonitus ea  
 de re fuerit. Ac tum id quoque tu fortasse com-  
 modi ab hoc eius errore capies, vt, si quid vere  
 boni in illo instituto viderit, id retineat, et in usum  
 liberorum tuorum conuertat, incommoda autem  
 deuitet, adeoque perfectum et *cinebēs*, nescio  
 quid, in institutione puerili praestare possit. Vi-  
 nam, inquit ille, tu vera dixeris; ac nisi tibi dis-  
 plicet, rogatum te velim, vt paullo post ser-  
 mones




mones nostros in coena, vel post coenam eo detorqueas, ita tamen, ut quasi sua sponte de hac re videantur incidisse. Recte mones, inquam; atque id ipsum vltro eram facturus, imo, nisi me omnia fallunt, Fundanum tuum vterque ita virgebimus, ita ei infabimus, vt tandem, quavis cera flexibilior, vietas manus vltro dare cogatur. Nescio equidem, respondit Philanthropus, an id praefiturus sis, qui scias, quantum ille olim in Academia bonos Wōfianos disputando presserit, et ad extremas incitas redegerit: habet enim fervens ingenium, et linguam satis volubilem, a qua tibi admodum timeo. Scio, inquam, equidem, et ridens adhuc illa tempora recordor; sed tamen non despero, et, nisi me omnia fallunt, tam compressum tibi eum dabo, vt loco mouere se non possit. Scio enim occulta animi eius latibula, ac veluti chordas, quas cum tetigero, totus, quantus est, pedibus in nostram ibit sententiam. Tu modo me urgentem ac pugnantem ne deseras, sed auxilio tuo strenue adsis.

Dum haec loquimur, redit Fundanus, comitantibus paruulis, qui tam paucis mensibus tantum iam in eum amorem conceperant, ut ab eius latere vix discederent, nunciatque, cito affore Philanthropi vxorem, quae ad coenam vocatura sit; et reuera, cum hoc vix dixisset, illa aderat, et summa cum suavitate vultus ac vocis nos rogabat, vt, quoniam magna caeli serenitas hoc vespere esset, ne grauaremur in hortum descendere, et in por-

porticu cibi aliquid rustici capere. Ibi, cum paulisper murmurantem cum vxore viderem Philanthropum, quod hoc sibi illa non praedixisset: Ah parce, quaeſo, inquam, mi Philanthrope, et felicitatem tuam agnosce, qui habeas coniugem eiusmodi, quae, ſi quid forte excogitauerit, quamuis minutum, quod te delectet, ſtudioſe te id celeſt, vt improuifo adſpectu te magis afficiat. Tum illa, ad me conuerſa, vere me ipſius rata vicem dolere: Ne quaeſo, timeas, inquit, ſorti meae a Philantropi mei indignatiuncula, quippe quam nec ipſa admodum expauesco. Noui enim fontem, vnde defluat. Et his verbis, ſubito mari- tum exofculata, et, vt ſtatim ſequeremur, hortata, vento citius e diaeta per ſcalas delapſa, diſceſſerat,

Descendimus itaque in hortum, in quo ea coenam apparaueat, non ſplendidam illam, ſed elegantem, ſimplicem, ac vere rusticam, vt mun- ditia magis et comitate hospitum, quam ornatu et copia, placaret. Caedebantur sermones varii de veteribus amicis, (vt fit) de ſtatu Ecclesiae et reipublicae praefenti, maximeque de corrupto ſaeculi more, in quibus omnibus egregie nobis- cum conſentientem reperiebam Fundanum, etiam in eius cauſis indagandis. Sed poſtquam ad re- media eius optima ventum erat, ibi demum ille paullo aliter ſentire, accusare veterem rationem docendi, commendare nouam, et omnino pro- nunciare multa cupidius. Ibi tum ego: Sed, dic mihi, inquam, Fundane, quoniam audio, te noua illa,



illa, in vicinia nostra, educandorum liberorum instituta nuper ipsum vidisse; an tu existimas, ea sufficere ad tollenda illa vitia, de quibus modo dicebamus? Ad haec Fundanus: Num sufficient prorsus, inquit, equidem pro certo affirmare non ausum; sed tamen, nisi melius, certe, aequae, bene et commode ad metam consequendam ea nos ducere, atque illa vetera, quibus nos a pueris adfueuimus, hoc certe videor vere mihi posse contendere. Vnde tu hoc scis, inquam, qui per veterem instituendi rationem, quae iam per duo amplius saecula in scholis publicis viguit, contendis quidem, multa ingenia bona quasi exaruisse, sed tamen et ipse eadem factus es is, qui nunc es, et innumerabilem virorum doctissimorum copiam effictam nosti; per nouam autem istam, nec potes in antecessum praestare, neminem corruptum iri, nec quenquam adhuc habes, qui formatus ab ea sit; sed exspectandus est demum fructus in altero saeculo. Itaque si vere volumus dicere, nonnisi post quinquaginta annos iudicari poterit, vtra ratio potius sequenda sit, vetusne, an noua? Quae igitur, quaeso, insipientia est, ut quam lenissime dicam, reicta illa via, qua, fateri quidem cogare, non omnes ad finem propositum aequae commode peruenisse, sed multos tamen, alium serius, alium citius, accuratam, amplam et proximam doctrinam consecutos fuisse, et adhuc consequi, hac igitur via relicta, propter aliqua incommoda, quae aut vitari possunt, aut, si non possint, centum aliis comodis compensantur, nouos trami.

tramites quaerere, qui, nescias adhuc, in quales et quantas ambages te ducturi sint, certe, quamdiu eundo ac redeundo triti nondum fuerint? Minime vero haec, inquit, Fundanus, insipientia est, rimari semper in vnaquaque re, et meliora antiquis quaerere, cum in confessio sit, non solos maiores vbique, verissimum et optimum quid es-  
set, vidisse, sed posteris quoque mutanda, emen-  
danda, uehenda reliquissimae quam plurima, quae si  
nunc viderent, ipsi profecto vitrumque suam stul-  
titiam simul, et nostram sapientiam admiraren-  
tur. Imo, inquam, hoc ipissimum saeculi nostri  
vitium est, et quasi quaedam lues pestifera, quae  
per omnes ordines grassatur, vt nihil plane anti-  
qui nobis amplius placeat, sed omnes omnia vetera  
carpant, immutent, euertant, et sui quisque inge-  
nii phantasmatata in eorum locum constituant,  
omnia innouent, et quadrata rotundis misceant,  
non solliciti, quid, vel post decem annos de no-  
vis institutis suis fiat, ac, si forte male cesserint,  
(hoc enim fieri posse, vix cogitant; adeo securi  
suarum sunt nugarum) vnde postea vetera, quae  
semel radicitus euersa fuerint, restitui possint?  
Quaerendum igitur ante omnia prius fuerit, an  
hoc ipsum recte a nobis fiat, quod tam cupidi su-  
mus veterum mutandorum? Et, vt concedam in  
vniuersum, recte hoc fieri, videndum tamen fue-  
rit rursus illud, an etiam tum a veteri via liceat  
discedere, cum certissime praeuideas, ingentes  
omnium rerum motus eam conuerzionem secum  
necessario allaturam? Quod mihi profecto non

B

ita




ita videtur. Et tamen illa noua instituendi ratio, quam tu laudas, huic incommodo admodum, ni fallor, subiecta est. Esto, inquit ille, si nihil aliud, nisi motus ingentes, conuersioni cuique salutari obstant, ego vici profecto. Quid enim? Lutherus et sodales, cum sacra nostra repurgarent, an, quaeſo, sine maximis totius Europæ motibus hoc effici potuit? Num tu igitur audebis etiam hos viros nouandi cupidos dicere? Minime vero, inquam: in his longe alia res fuit. Conſtat enim, eam tum rerum omnium, quas illi mutarunt, faciem fuisse, ut nemo non videret, eam diutius non posse confiſtere, sed aut omnia in ſe ruitura, aut aliquem, quaſi ex machina, Deum eſſe exſpectandum, qui rem in melius reſtitueret. Imo ingemiscebant tum omnes boni, et emendationem reipublicae, cum ſacrae, tum ciuilis, omnibus votis deſiderabant, ne dicam, anhelabant: Lutherus quoque ipſe et collegae, cum ſemel, quaſi vento ad emendandum delati, aleam, ut dicitur, ieciffent, quam primum, ut ſibi liceret finem novandi, (ſeu antiquandi verius) facere, optabant, etiam, quidquid ex veteri fermento vteunque, et cum ſpecie non plane nulla, retineri poſſet, retinebant. Sed non poterant, ſcilicet, cum quotidie, mota ſemel Camarina, noua vitia, Chimaerae in modum, detegerent, re non perfecta, diſcedere. Verum haec temporibus noſtris non conueniunt; iſtos quoque nouatores instituendae iuuentutis nemo exſpectauit, nemo deſiderauit, nemo vocauit: hi totius aedificii molem ſine omni mente

mente student subruere; et, quae student conuelere, ea iam, per aliquot saeculorum experientiam ita confirmata sunt, ut nec sine periculis motibus tota immutari, nec sine detimento veritatis reici possint. Ac tum quidem, Lutheri a partibus veritatem flare, paene totus orbis statim agnoscit, et sensu suo expertus est: in his nemo cordatior non ad dubitandum propendet, dum illi, quae promittunt, ea praestiterint; adhuc enim prouiserunt optima quaque, praestiterunt admodum nihil.

Volebat Fundanus quaedam regerere, sed interpellabat eum Philanthropus: Video, inquit, vos pugnae ytrumque paratos esse; nec inter vos prius conuenire posse, quam probe inuicem decertaueritis. Itaque, ne huic egregio operi impedimento sim, sed potius pro virili parte, vel veritatis ipsius causa (cuius mihi victoria non perinde est) id promoueam, edico vobis, ut iam ab hac disputatione tantisper abstineatis, dum coena absoluta sit; mensis deinde remotis, denuo ex consueta certaminum eruditorum lege, quae unum post alterum caussam suam iubet agere, pugnam vestram ingrediamini, cuius ego non auditor modo, verum etiam, si vobis placuerit, arbiter quidam, idque ytrumque magna, ut spero, cum voluptate, assidebo. Id cum probassimus vterque, reliquum deinde coenae variis et iucundis sermonibus, iocis quoque ac dicteriori, quorum non iufoecundum Fundani ingenium est, hilariter transegimus. Tum

R 2

vero,




vero, remotis mensis, in hortum paullisper exspatiati, cum non obfcurum esset e Fundani vultu aegestibus, eum priori loco dicendi cupiditate flagrare, tandem in porticu amoenissima tres comedimus, ita, ut medium Philanthropum haberemus: ubi statim Fundanus ita exorsus est:

Dabitis mihi veniam vterque, amici carissimi, si, coram vobis de ratione insituendorum puerorum, inprimisque linguarum tradendarum dicturus, breuitatem potius, quam verborum ambages secutus fvero. Nam, de multis cum inter nos optime conueniat, ut arbitror, quale est de grauitate rei ipsius, de iis, quae tradenda ac discenda sunt, et de necessitate ordinis cuiusdam ea in re tenendi; ineptum fuerit, haec latius vobis ediscerere. Sed tanto magis opus esse video, vt meam de via ac ratione institutionis sententiam, non leibus, ut spero, argumentis nixam, vobis approbeam. Non enim, quasi vento delatus, neque aliorum auctoritate permotus, neque nouitate captus, eam amplecti coepi; sed experiundo demum ac meditando, eam planissimam ac tutissimam esse intellexi. Scitis vterque, nos ipsos quandam veteri esse via institutos, gratusque ego me, profiteor, eâ ipsâ ad illum qualemcumque scientiae gradum, quem nunc teneo, peruenisse. Sed idem etiam lubens fateor, nescire me, an multo citius ea omnia didicissem, et an multo maiores, pari tempore, profectus in elegantioribus litteris fecisset, si mihi puer obvior illa via, quae nunc incipit a quibusdam calcari,

contine-


contigisset institui. Quid enim? Cum duae omnino sint ad linguas percipiendas viae, quarum altera per praecpta Grammatica dicit, altera per usum et consuetudinem, nonne ipsa ratio et sensus dictat, breviorem esse per usum, longioram per regulas? Quid igitur, quae, miseris pueris cruciamus ediscendis et euoluendis praecptis Grammaticis, quae neque intelligunt, neque, si vel maxime velint, possunt propter nemiam obscuritatem intelligere? Quid enim est tale praecptum, nisi verbis vniuersis expressa, centum aut mille singulorum verborum vel formularum inter se conuenientia? An non multo tutius et facilius puer capiet v. c. praecptum illud de efferendis masculo genere secundae formae nominibus in VS, si quadraginta aut quinquaginta exemplis didicerit, *Dominos magnos, non magnas, cultros acutos, non acutas, libros latinos, non latinas etc. esse*, quam, si sexcenties praecptum ea de re Schmidianum aut Langianum, non intellectum audierit, euoluerit, recitarerit? Annon multo certius sciet, caussam et instrumenta sexto casu verbis iungi, si centum exemplis sua sponte tandem intellexerit, *gladio aliquem occisum, amore aliquem insanire, triflitia mortuum esse*, quam, si exactissime praecptum ea de re Grammaticorum memoria teneat? Sane enim hac ratione nullo fere negotio, imo magna cum voluptate, nec sentiens, tiro magnam artis Grammaticae partem imbibet. Et quidni huic aetati, quae tota ludis dedita est, hoc demus, ut etiam res



maxime serias quasi per ludum discat, quarum  
ignorantia perniciosissimos aliquando effectus ipsi  
allatura sit, et sine quibus ad altiora pergere non  
possit? Cur eam non patiamur compendium fa-  
cere eius fastidii, quod publica scholarum institu-  
tio ei a longo iam inde tempore creavit, et quod  
tamen, si vterius in studio linguarum progressa  
fuerit, ne effugere quidem totum potest? Est  
enim, ut probe nostis, per se satis molestum Gram-  
matici munus, et ingratus labor, qui per singulo-  
rum verborum disquisitiones, et syllabarum litte-  
rariumque apices, tanquam spinas et vepreta, du-  
cit. Etsi igitur aliquis vel maxime non totum se  
huic arti consecret, sed tantum, quantum ad alia  
doctrinae genera sibi opus esse putet, velit inde  
assumere: tamen vel sic multum laboris et mole-  
stiae ei deuorandum fuerit. Quid enim innume-  
rabilis illa tot praceptorum, tot exceptionum far-  
rago, tot de vsu loquendi, tot de variis vocum,  
ad speciem sibi similium, vsu autem longe diuer-  
sissimarum, significationibus obseruationes? Non-  
ne vel Herculem legendō, conferendo, adnotan-  
do delassare videntur posse? Ac nos non dubita-  
bimus, viuida, desultoria, ac circumvolantia pue-  
rorum nostrum ingenia his iejunis et iniucundis  
minutiis onerare, obruere, ac tantum non eneca-  
re? Nonne certe tenerae nos miserebit aetatulae,  
quaes, nondum ita firmata, ut grauitatem rei, et  
quantum in his minutis insit ad maiora ponde-  
ris, penitus possit perspicere, leuitatis huius cul-  
pam


nam, si in Orbilos forte inciderit, manibus ac tergo  
luere cogitur? Quae, vt poenam aut minas effu-  
giat, totos dies desudat in inculcandis memoriae  
regulis, quarum nec sensum intelligit, nec usum  
experta est? Dicetis: Ergo ipse tecum pugnas, qui  
prius necessitatem arti Grammaticae afferas diffi-  
cultatem concedas, ac deinde tamen eam pueris  
tradendam neges. Quando igitur eam discipuli  
tui, aut quomodo imbibent, qua super sedere non  
plane possunt, et à qua tamen eos tam cupide ar-  
reas? Paratum est, quod respondeam. Nolo  
equidem pueros ab hac arte plane excludere; qui  
enim id possem, cum paullo ante necessariam eam  
dixerim? Sed modo differendam arbitror ad ae-  
tatem maturiorem, qua partim auocare mentem  
ab exemplis singulis ad vniuersas notiones didice-  
rint, partim ipsi sua sponte illa praecepta quasi  
excludere et fabricare possint, adeoque in libello  
aliquo primum visa, statim sua agnoscant. Quid  
igitur in prima aetate agendum putem, breui sic  
habetote:

Antequam sciant aut suspicentur, sibi laboris  
aliquid noui, hoc est, addiscendae nouae linguae  
onus, imponi, ducantur in rem ipsam, praecean-  
tur iis certae quaedam ac breues Latine loquendi,  
interrogandi, respondendi formulae, quarum sen-  
sum paullatim ac saepe audiendo assequantur; de-  
monstrantur aut depingantur iis in tabula multae  
res, quae in sensu incurruunt, homines, animalia,  
supellectilia, uestes, lapides, cibi, addita sem-



per Latina appellatione, eaque in primis vrgearatur  
tum, cum, per curiositatem naturalem, sua sponte,  
quid hoc sit, quid illud, scire voluerint.  
Etenim insita illa omnibus naturalis sciendi audita-  
tas, maxime, cum differendo in diem aucta et inci-  
tata prudenter a magistro fuerit, acuet eorum  
animos, vt tanto melius ad rei nomen attendant,  
ne, saepius eadem quaerendo, tandem, repulsa  
ab illo lata, Latina appellatione plane frustrentur.  
Cumque aliquamdiu in hac veluti palaestra fuerint  
exercitati, pergatur ad maiora, et integras ve-  
terum, sed breues acutasque sententias. Quantil-  
lum enim, quaeso, negotium est magistro non  
plane hebetis ingenii, his quasi crepundiis non ad-  
modum longo tempore puerulos suos eo perdu-  
cere, vt et genera nominum Grammatica sine vi-  
tio coniungant, et regulas illas notissimas Synta-  
xeos de iungendis verbo, suo quibusque loco,  
quinque nominum casibus, terendo imbibant, h.e.  
vt ne amplius ament Deo, sed Deum, dent pe-  
tuniam mendicum, sed mendico, vehantur cur-  
rum, sed curru, et reliqua eiusmodi? Ego certe  
in iis familiis, in quibus praceptorum domesticum  
egi, hanc viam non sine magno apud tirunculos  
meos fructu fecutus sum, sensique, me ea multo  
longius processisse, quam, si explicandis centies et  
inculcandis illis praceptis Grammaticis, quorum  
haec, quae dixi, exempla sunt, aliquot annos  
oleum et operam perdidisse. Vix enim incep-  
perant illi, per audiendi eadem saepius consuetu-  
dinem, tria verbula Latina intelligere quum, illecti  
hoc


hoc successu, plura optarent intelligere, ad plura  
 discenda paratos se nutu ac gestibus ostenderent.  
 Cui quidem eorum cupiditati ita semper stude-  
 bam satisfacere, vt et ex parte aliqua sitim eorum  
 explorerem, et tamen ex parte nondum satiatos di-  
 mitterem, seu nouam potius alia sciendi sitim in  
 iis excitarem. Vnde porro siebat, vt semper ala-  
 cribus eorum animis ad discendum vterer, ma-  
 gnamque illi, nullo fere negotio verborum Latinorū  
 vim partim memoria tenerent, partim le-  
 gibus Grammaticis conuenienter iungerent. Et  
 quanquam, vt facile intelligitis, res ab initio, atque  
 etiam paullo diutius non semper sine vitio proce-  
 debat, tamen succedente tempore, magis ma-  
 gisque emendate loquebantur, vt, quidquid  
 esset in pracepta insigniora offendiculi, rarius in-  
 dies in eorum sermone deprehenderem. Quod  
 sane, vt in pueris, non parum lucri iam reputa-  
 bam. Hac ratione cum eos per annum, et quod  
 excurrebat, diligenter exercuisse, proponebam  
 iis loca veterum scriptorum selecta, quae, mira-  
 tus sum, quanta illi cum celeritate et intellige-  
 rent, et vernaculo sermone mihi explicarent.  
 Deerant sane interdum iis quaedam voculae, praef-  
 tertim ex genere vniuersarum, quas forte ex mea  
 nondum audierant; sed haec iactura cito mea  
 ipsius expositione resarciebatur, poteramque iam  
 longiora pensa, integras Ciceronis Epistolas, poc-  
 tarum fabulas et narrationes iis proponere, qua-  
 rum illi sensum partim e vestigio explicabant, par-  
 tim hariolabantur feliciter, partim denique, me-



diocri adhibita cogitatione, assequebantur. Ac iam volebam, quod de industria in id tempus distuleram, addere ex instituto praecepta Grammatica, quae exiguum sane temporis spatium absum-sissent, cum ecce! ex illa domo in aliam migrare per prouidentiam diuinam iubeor, ubi scilicet, non pertexta veteri tela, nouam ab integro ordiri necesse erat, cum pueris, aetate minoribus, quam priores illi fuerant. Interim hoc certe perspe-xeram, si hac via in tradendis linguis mortuis in-cederetur, incredibile non modo temporis, verum etiam molestiae et laboris, non quidem apud prae-ceptorem (at, quam, quaeſo, molestiam vir bonus boni publici cauſa recufet?) sed apud pueros, compendium fieri posse, eandemque etiam in al-tera illa domo, etſi non pari (deeraunt enim mihi puerorum ingenia) sed aliquo tamen cum succeſ-su, vsque ad abitum meum fecutus sum. Sed ne ultimo actu decurtatam fabulam, vt ajunt, relin-quam, (quoniam ipsum eius exitum exspectare mihi non licuit) quomodo postea in tironibus meis instituendis versaturus fuifsem, si potuifsem, seu potius, quomodo vnicuique, cuius discipuli eo iam prouecti sunt, quo priores illi mei, in iis por-ro versandum sit, scilicet vobis adhuc breuiter est indicandum.

Cum eo vsque progressi sunt pueri, vt Latina, non nimis disiecto verborum ordine laborantia suo Marte possint intelligere, tum demum, aio, praecepta Grammatica ipfa assumenda, et a ma-gistro


gistro ex instituto iis explicanda esse. Ac tum  
 quidem decuplo maiorem, ni fallor, fructum apud  
 eos hanc interpretationem, certissime persuasus  
 sum, habituram. Quum enim videant, simul at-  
 que librum Grammaticum (quicunque is tandem  
 sit) inspexerint, multa inesse, quae ex vsu solo  
 ipsi duduim sciant, non modo gaudium ea ex re  
 singulare percipient, verum etiam reliqua, quo-  
 rum accuratam scientiam sibi adhuc de esse  
 animaduerterint, tanto maiori cum alacritate,  
 certe sine fastidio vlo, ingredientur, quippe quae  
 non tam fundamenta ac trabes huius quasi aedifi-  
 cii, quam complementum, ornamenta, ac supel-  
 lectilem esse intelligant. Dabit igitur operam  
 magister, vt distinctas vocabulorum artis omnium  
 notiones eorum animis informet, omnes distinc-  
 tiones enucleet, et idoneis, iisdemque selectis  
 exemplis illustret, exceptiones quoque a regulis  
 notet. Neque tamen haec ita velim intelligi,  
 tanquam hoc tempore nihil aliud, nisi hoc ipsum  
 agendum sit. Imo vero nunc demum potest se-  
 ria, accurata, ac frugisera veterum lectione et in-  
 terpretatio institui. Ipsa enim illa praecepta  
 Grammatica, iejune proposita, vix firmiter viden-  
 tur inhaesura, nisi perpetuus eorum usus in inter-  
 pretando accesserit. Itaque praeceptor prudens  
 in singulis auctorum locis, in quibus aliquid non  
 plane tritum ac vulgare, aut ab regula abhorrens,  
 occurrerit, diligenter id annotabit, tironesque com-  
 monefaciet, se hoc illis iam tum, cum explica-  
 ret praecepta Grammatica, dixisse, cuius nunc per-  
 spicuum



spicuum in hoc loco exemplum ante oculos habent. Atque omnino indies accurasier et copiosior fieri debet scriptorum Latinorum interpretatio, veluti Ciceronis, Liuui, Sallustii, Suettii, poetarum item principum, Ouidii, Virgilii, et Horatii, et si non totorum, tamen insignium cuiusque particularum, in quibus interpretandis etiam rerum ipsarum, et artificii cum rhetorici, tum poetici ratio erit habenda; caetera eorum opera priuato discipulorum studio erunt relinquenda, quos profecto iam sine cortice natare conuenit.

Atque haec omnia profecto in dies melius procedent, si iam scribendi exercitatio fuerit adiuncta. Etenim, ut scitis, alterum alteri mutuum auxilium praeslat, neque lectio sine scriptione, neque haec sine illa multum valuerit. Quid enim aliud continuus scribendi et commentandi labor, copia lectionis deslitutus, nisi meram barbariem, efficiet? Vicissim vero lectio vel diligentissima, quae scribendo non subigatur, et in succum quasi ac sanguinem, ut aiunt, transeat, vel otiose insidente marcescat, imo tandem euanescat, vel certe non tantam utilitatem discipulo afferet, quantam, adiuncto stilo, posset. Quapropter magistri prudentis erit, vtramque ita temperare, ut se inuicem adiuuent, hoc est, nunc e Latino Germanica, nunc e Germanicis Latina iubere tironem reddere. In quo tamen ab initio non facile ab illius latere discedet, partim, ne, dum solus relinquitur, ni-  
mium

mium sudando defatigetur, aut omnino desperet,  
 partim ut magister non tam opus habeat, errores,  
 quos ille forte admissurus est, admissos corrigere,  
 quam admittendos demum cauere atque eludere.  
 Deliget autem ad Latine vertendi exercitationes  
 primum brevia veterum ipsorum loca, quae postea  
 tironi, absoluto labore et penso emendato, ostendat,  
 ut ipse, quantum adhuc ab exemplo suo ab-  
 sit, oculis suis videre possit; deinde ipse aliquid  
 Germanico sermone vel ab se meditatum, vel e  
 bonae notae auctore sumptum, discipulo in cala-  
 num dicit. Haec porro pensa ab initio velim  
 ordini et structurae Latinae similiora esse, quam  
 Germanicae, ne nimium difficultatis bono puero  
 creent; procedente autem tempore paullatim ab  
 illa similitudine recedere, et patrii sermonis inge-  
 nio magis accommodari. Neque enim tum adeo  
 multum negotii puero videtur faceſſitura haec La-  
 tinae formae occultatio, quum, ab tam longo in-  
 de tempore, partim loquendo, partim intelligen-  
 do, partim denique scribendo, non parum familiari-  
 ritatis cum hac lingua, necesse fit, eum contra-  
 xisse. Quod vero ad Latina pensa, in Germani-  
 cum sermonem vertenda, attinet (a quibus ini-  
 tium omnis ſcriptionis faciendum esse arbitror) fa-  
 ne ea non aliunde, niſi e veterum scriptis repeten-  
 da funt, ne quid omnino labis (a quo recentiores  
 vel optimi scriptores non ſemper absunt) contra-  
 hatur, ſed pura ac defaeca ta omnia, tanquam ex  
 ipſo fonte, imbibantur. Eritque eadem, quae in  
 ſuperioribus, ratio temporis ac virium in diſ ipulo  
 habent



habenda, ut ab initio paruae tantum, iucundae, et faciles intellectu ex antiquis scriptoribus particulae deligantur, his autem, progressu temporis longiora, grauiora, ac difficiliora loca succedant. Quod si tironem praeceptor in scribendo ita, animaduenterit, profecisse, vt suopte ingenio aliquid non plane ineptum possit comminisci, tum vero tempesuum demum fuerit, cum eo per varia illa, quae *progymnasmata eloquentiae* veteres appellabant, circumerrare, eique nunc epistolae, nunc narratiunculae, nunc orationis, nunc reprehensionis, nunc descriptionis, characteris, et, quae sunt similia, argumentum et materiam subiicere, verba, elocutionem, et ornatum ipsius arbitrio relinquere. Quod si fortasse ingenium eius addixerit, etiam carmini, ad exempli poetarum veterum similitudinem, operam dare poterit, cui consicendo ducem et adiutorem magistrum nanciscatur; quanquam nihil inuita hic Minerua suscipiendum, fuaserim, ne crux verius bono pueru, quam liberalis quaedam mentis oblectatio haec esse videatur.

Superest Latine loquendi exercitatio, quae prima, ut meministis, erat earum omnium, quibus ingenium puerile continendum esse, supra dicebam. Haec cum nunquam plane per totum illum, quem descripsi, linguae Romanae cursum, prorsus intermittenda sit, tum in primis, quo firmiores per usum legendi ac scribendi vires discipulus sumserit, eo et ipsa per se facilius procedet.

Qua

Qua quidem non tam vtendum arbitror, horis institutioni ipsi destinatis, quam ceteris fere omnibus, vt, deambulando, prandendo, conuersando, obiter tantum, et quasi aliud agendo, percipiat notionum plurimarum, earumque utilissimarum, copiam incredibilem. Neque vero, vel mediocris ingenii magistro, colloquendi cum pueru deesse vñquam potest vel materia, vel occasio, quin aut rem ei incognitam explicet, aut de cognita sciscitur, aut aliquid narret, aut ad virtutem admoneat, aut vitium aliquod increpet, aut denique simile quid verbis Latinis cum eo communicet, vnde non possit tiro non quotidie doctior et sapientior ab doctore suo recedere.

Habetis, viri optimi, meam de instituendis lingua Latina pueris sententiam, quam et ipse ante hac fecutus, non sine fructu, vt arbitror, sum, et omnibus, qui idem cupiant, sequendam reor, vt facillimam, breuissimam, tutissimam, et commodissimam viam, qua non modo ad Latium, (quantulum enim hoc esset?) sed ad omnis generis rerum, et amplissimae aliquando doctrinae cognitionem, sine magno labore, taedio certe ac fastidio, a tironibus contenditur. Cuius quidem comoda insignia ac manifesta, vix est, quod ego adhuc longa vobis oratione exponam, quae iam in ipsa eius enarratione peruidere, ni fallor, potuistis. **Primum**, quantum et quam inaestimabile temporis spatium candidus ac diligens praceptor potest hac via lucrari, quod alioquin inculcandis memo-

riæ

riæ puerorum praeceptis Grammaticis, sine effectu, imo cum certissima eorum naufea, consumitur! Deinde prima illa cum tirunculis colloquia, quanquam ab initio semibarbara, quam opportunam occasionem magistro suppeditant, immensæ fere utilissimarum rerum copiae, quasi per ludum et iocum iis tradendæ, quæ iis vulgo vel magno ac terribili cum apparatu ac præfatione, separatis horis traduntur, vel, quorum omnia perpetua in ignorantie per totam vitam versantur. Huc referto notiones claras ac distinctas sexcentarum rerum vitae quotidianaæ, opificiorum, et artium illiberalium, quas, cum vel infimæ plebis homines exacte saepius teneant, quantum, quæsio, dedecus est, eas ab studiosis litterarum nesciri? Huc referto rerum naturalium, caeli, terræ, plantarum, herbarum, lapidum, metallorum, animalium bipedum et quadrupedum, notitiam, quæ et ad delectationem iucunda, et ad usum uberrimæ meritio existimatur. Huc referto Geographiae, Chronologiae, Historiae, Pictoriae, statuariae, et reliquarum artium liberalium notiones primas et maxime necessarias, sine quibus in grauioribus disciplinis aliquando multum proficere non possunt. Huc referto denique Matheos, in primis, Geometriae, Mechanicae, et Architectonicae clementia præcipua, quæ et sensibus puerorum blandiuntur, et ingenium eorum mirifice acuere solent. Quæsio vos, quot annos integros interdum foliis harum disciplinarum elementis tradendis consumimus? Et, ut ab disciplinis seriis discedam, caeterarum

terarum rerum, quas dixi, notitia, quanta cum molestia ab adolescentibus, imo viris, quanto cum detriumento rei familiaris, interdum nimis sero, comparatur? Haec omnia profecto cauentur, si cui placeat, eam viam ingredi, quam ego nunc descripsi, et quam ante me non modo *Taneguidus Faber*, et *Iohannes Matthias Gesnerus* ingressi sunt, (quorum virorum, quotusquisque est, qui non vel ad nomen ipsum obstupefac?) verum etiam hoc tempore in primis multi, et docti, et cordati viri, cum fructu ingrediuntur, patroni literarum commendant, principes denique munificentia inaudita munient, atque exemplo praeire non dedignantur.

Quapropter tu, Philanthrope amicissime, non est, quod dubites, recte te facturum, si mihi potestatem feceris, eandem rationem in insituendis filiolis tuis sequendi. Sunt enim, ut per hoc breve tempus intelligere potui, non modo viuidi ingenii et excellentis, verum etiam, quod multo maioris habendum puto, animi erecti et admodum honestae indolis, quorum neutrum, qui parentes paullo accuratius nouerit, mirabitur. Itaque tanto plus est spei, fore, ut ab tam generosa stirpe minime degenerent, sed ea dignos aliquando se praebant, praesertim, cum accesserit institutio non fidelis modo, verum etiam prudens et idonea; qualem equidem de me ipse, si pace vestra fieri possit, non dubitem polliceri, non tam, quod tantam in me solo dexteritatem aut tan-




tum ingenii ac follertiae esse existimem, quam quia animi mei candorem ipsi nostis, peritiam vero in docendo decem nunc paene annorum experientia et iactatio cogit paene habere hominem, qui non plane sensu communi carere videatur. Atque etiam paullo audaciorem me hac in re facit tuum, Philanthrope doctissime, de veteri amico tuo iudicium, cuius ut compos fieres, ab extremo Saxonie inferioris angulo eum ad instituenda pignora, tibi carissima, tuo ipsius sumtu, arcessere non dubitasti. Itaque iam totum hoc, quidquid est consilii mei, vestro, viri amicissimi, arbitrio lubens subiicio; ac, ne putetis, me nimium confidere meae ipsius intelligentiae, hoc coram vobis haud erubesco profiteri, me, quaecunque iam dixi, dixisse animo hominis eius, qui, etsi de bonitate caussae suae satis certus sit, tamen, si quid ab aliis contra dicatur, quod veritatis perspicua signa habeat, aequissimo animo sententiam suam mutare, et contrariam amplecti paratus sit.

Haec cum dixisset Fundanus, tum Philanthropus: Magna, inquit, voluptate iam tu quidem nos (nam etiam pro hoc amico communi nostro tibi respondeo, qui suo hoc se nutu velle significat) affecisti, Fundane, qui tanta eloquentia caussam tuae fenteiae egisti; et agnosco non modo dignum *Gesneris* et *Ernestis* discipulum, verum, quod mihi maius est, Fundanum, hoc est, amicum veterem, qui mei et meorum studio totus flagret, et, quod semel verum habuerit, id magno

gno ardore assuinet, defendat, aliis persuasum cupiat, et vnicet in agendo spectet, quod et sumimum semper viri boni habitum est indicium, et nos in primis in te a viginti paene annis perpetuo obseruauimus. Sed, quanquam haec ita sunt, vereor tamen, ut omnibus de bonitate tuae caussae persuadeas, quam nobis tanta cum diligentia et studio commendasti. Nam, ut nihil de me ipso dicam, cui iamdudum de ea dubitanti, insuper etiam dubitationes quaedam nouae, nec leues, inter audiendum subortae sunt, hunc certe (me autem monstrabat) habebis sententiae tuae in multis, opinor, aduersarium. Atque euidem non prius dubitationes illas meas expromam, quam eius sententiam vterque audierimus, cum praesertim, me auditorem vestrum vtrique, ac, si permiseritis, arbitrum quoque aliquem fore, ab initio vobis proumiserim. Te itaque rogatum volo, vt, qua nos te dicentem patientia auscultauimus, eadem tu quoque vicissim ipsum audias.

His verbis cum annuisset Fundanus, tum ego: Non diffiteor inquam, viri amicissimi, me fam paullulum ab ea spe decidisse, quam ab initio de mutanda Fundani nostri, aut conuicta sententia, animo meo conceperam, quum tibi, Philanthrope, commemoranti cum risu pristinas eius in Academia cum bonis Wolfianis pugnas, facilem de eo victoriam mihi fore, affirmabam. Nam neque tam firmiter in eius animo errores illos nouos putabam inhaesisse, neque tanto cum ardore, in-




genio et eloquentia ipsum eos propugnaturum, quanta cum maxime vidisti. Interim cum nihil impedit, quo minus duo homines, diuersas sententias amplexi, pariter certi de sua vterque sibi videri possint, et ego liquido videam, illam Fundani certe optimam esse non posse, cum tot incommodis manifestis prematur; ego, partim, ne meae, et ipse, caussae deesse videar; partim, quod tibi, Philanthrope, antea promisi, experiar aleam, et, tanquam obfessi, quibus, iam desperantibus, a pugna non tam obsidentium hostium fuga, quam pax tolerabilius queritur, nihil nisi periculum faciam, an forte eum adhuc de sententia possim decidere; sin minus, certe conatum tibi probabo, quoniam haud parum reipublicae interesse arbitror, virum, ad docendum aliquandiu in schola publica natum, in certiorein viam e diuerticulo reducere, reducere certe conari. Neque vero tu, Fundane carissime, debes existinare, me, si nouam tuam docendi discendique rationem impugnauero, propterea dicere, nihil plane boni aut sani in ea reperiri. Hoc enim profecto nihil aliud sit, nisi iniuriam tibi inferre. Imo vero quam plurima tu, maxime in capite de legendis scriptoribus et filio, praeclara, et veteri mori plane consentientia protulisti, quae nullo modo equidem sciam reprehendere. In primo tantum illo curso tuo sunt, quae mihi, (atque, vt opinor, etiam huic Philanthropo, et aliis cordatis viris) admodum displiceant, Igitur neque hoc a me, credo, exspectabis, vt aut singula capita conuellam,

aut

aut repetendo, quae centies ab aliis dicta sunt, contrariam viam aliquam, h. e. veterem (quam tu satis et nosti, et ipse olim, magno cum fructu, calcasti) denuo describam. Etenim hoc posterius memini iamdudum summos viros, *Melanchthones*, *Camerarios*, *Sturmios*, et in primis *Neandros* \*) fecisse; quorum utinam consilia, sane non contemnenda, resectis, quae forte aut per se paullulum incommoda, aut per temporum rationem mutata inutilia forent, recentiores litterarum bonarum doctores sequerentur, minus certe miseranda nunc esset rei scholasticae facies. Veruntamen, ut modo dixi, hoc in praesenti non faciam, sed indicandis modo viae noiri paucis incommodis atque difficultatibus, quae cum ea necessario coniunctae sunt, efficiam, (spero) ut mecum fareare, eiusdem certe, nisi maioris etiam, bonitatis esse eam rationem tradendarum pueris linguarum, quae dudum apud maximam partem obtinuit, quam eam, cui vix alia de causa, quam, quod nouitatis speciem habet, tam multi nunc adstipulantur.

\*) Mich. Neandri Bedenken, wie ein Knabe zu leithen und zu unterweisen, das er ohne gross jagen, treiben, und eilen, mit Lust und Liebe, vom sechsten Jahr seines Alters bis auf das achtzehende wohl und fertig lernen moege, pietatem, linguam Latinam, Graecam, Hebraeam, Artes, und endlich vniuersam Philosophiam. 1580. 8v.  
Islebii.



Ante omnia autem hoc, arbitror, et te ipsum,  
et vnumquemque alium virum cordatum mihi  
haud difficuler concessurum, eam esse optimam  
puerilis institutionis rationem, quae ipsos pueros  
ad omnia futurae vitae munia exequenda, ad va-  
rios casus perferendos, ad obeunda denique offi-  
cia quam aptissimos efficere possit. Nostri enī  
illud vulgare: NON SCHOLAE, SED VITAE.  
Quid autem ad haec omnia et facienda et sustinen-  
da aptiores reddit, quam, si *primum* didicerint,  
īis, quibus cultum et obedientiam debent, sine  
difficultate aut repugnantia, dicto audientes esse;  
et, vel reluctante ipsorum animo, tamen prom-  
tum obsequium praesulare; *deinde*, omnia, quae  
ipsis agenda sunt, non confuse, non praeposse,   
sed ordine certo ac rato, vnum post alterum, ex-  
sequi; *denique*, quidquid suscipiant, non temere,  
aut praeccipitanter, sed cum attentione aliqua ac  
circumspectione suscipere; et semper, quid, ad  
quos quo loco ac tempore, qua de causa agant  
vel dicant, secum considerare, atque omnino ni-  
hil scurrile aut *άτοπον* committere, sed serios et  
graues se aliis exhibere. Haec itaque, praeter pie-  
tatem et religionem, ante omnia ut in pueris cu-  
rac suac commissis efficiat, bonus magister ope-  
ram dabit. Sed profectio, ut scis, omnibus his  
virtutibus e diametro velut opposita in puerorum  
animis virtus repeties. Nam et libenter a natura  
ab omnibus, quae iubentur facere, abhorrent,  
(cum contra ad ea, quae verita esse sciunt, sint  
promissimi) et difficillime assuescunt ad aliquem


in

in rebus agendis aut collocandis ordinem, et plerumque, quae maxima sunt in unaquaque re ac potissimum, desultoria quadam cogitandi leuitate praeteruolant. Id sane est a prauitate naturae humanae insita, quae istis annis maxime se exseruit, et parentibus magistrisque, quibus primis semper occurrit, incredibilem, etiam apud optimae indolis liberos, molestiam creat. Hanc igitur omnis veri boni, officii, laboris, et omnium rerum seriarum quasi naufragium pueri etiam ad scholam et institutionem secum afferunt, perpetuumque linguis et disciplinis addiscendis velut obicem ponunt. Cui remouendo proinde, non modo pen disciplinam, verum etiam per ipsam institutionis rationem, summam intendere magistri fideles curam debent, propterea, quod unum pacific negotium serium puerorum schola est, ex quae deinde illa vitia, nisi reprimantur, etiam ad reliquam vitam solent afferre. Iam, quae so te, Fundane, si ad hanc veluti regulam exigas nouam illum tuam et ludentem instituenda iuuentutis rationem, quid tandem bonae frugis ab ea exspectari, hanc certe ad rem, potest? Tota enim illa linguae Latinae per solum colloquendi usum descendae via non tam docentis, quam discentis unius arbitrio relinquitur. Itaque hoc volente, seu iubente potius, statim praefto eris, quidquid in manibus habeas; fastidente (quod saepissime, statim post horae quadrantes euinet, maxime, si mutabilioris naturae et qualisunque pertinaciae puerulus fuerit) vicissim abiicies, etiam si in me

biblioq

C 4

dia



dia utilissimae iucundissimaeque rei demonstracione constitutus sis; abrumpes cito filum, et alio tempore ab integrō telam exordiere. Quod si forte ille astutus (et hac in re fere stupidissimus quisque est acutissimus) te paullo mitioris ingenii hominem senserit, qui cupiditati suae aut repugnantiae facile cedas, tum prosector vicit, et mille artibus operari tuam eludet. Quid autem hoc aliud est, nisi sua sibi culpa tyrannos excitare, qui nos ad arbitrium suum fingere, et quasi in ordinem cogere audeant? Scio, quid ad haec dicturus sis? Non omnes magistri mollieris naturae sunt, neque omnes pueri pertinaces, debetque hac in re praeceptoris ars et prudentia quaedam intercedere, quae, serium esse, quod agatur, dissimulet, et, ab noua semper parte rem ostendendo, studium discendi in puero alere et incitare possit. — Primum quaero, cuius magistri ingenium tam inexhaustum est, ut toties nouitatis speciem rebus omnibus velut induat, quoties pueri levitas aut ferocia eum docentem deslituit? Deinde, cuius prudentia dissimulatrix tam constans erit, ut non aliquando, remissius agendo, veritatem prodat? Quod si forte aliquando puer ille tuus senserit, non vere cum eo ludi, sed serio rem agi, hem! quantas tum tragoeidas excitabit? aut certe, quanta segnities priorem illum discendi ardorem excipiet? Tum prosector omnis

*Effusus labor, atque immritis erupta tyranni  
Foedera,*

sib

prodita

prodita est res, et ex alia parte puer aggrediendus.  
 Sed ex qua? Dices: Tum demum castigandus est,  
 aut increpandus certe, si quidem aliter non pos-  
 sit. Cur igitur hoc non statim ab initio ei praedicebas, sed tot ambagibus, tot ludis, tanta dis-  
 simulatione vtebare? Cur non statim eum mone-  
 bas, labore et molestiam nonnullam, imo ma-  
 gnam, ei suscipiendam fore, si doctus et pru-  
 dens vir velit olim euadere; sed non desperan-  
 dum esse; illam molestiam indies minui, sensim  
 decrescere, ac tandem in meram voluptatem de-  
 finire; radicem doctrinae amaram, sed fructus  
 dulcissimos esse; omnes praeclaros viros hac via,  
 non alia, ad sapientiam, virtutem, et immortaliti-  
 tem peruenisse, et quae sunt similia. Cur, in-  
 quam, hoc non statim dicebas, ac, si his nihil  
 profecisses, statim poenas repugnanti infligebas?  
 Sane non modo parentem tibi per omnia habuisses  
 discipulum, propter timorem tui iniectum, sed  
 etiam omnibus illis ambagibus tuis, precibus, lu-  
 sibus, dissimulatione, facili negotio supersedere  
 potuisses; quibus exhaustis, tamen semper ad aspe-  
 riora tandem pergendum est. Scilicet omni pue-  
 forum institutioni, quantaecunque probitatis in-  
 genia sumferis, adiunctum est aliquid, quod,  
 nescio, utrum obicem, an nodum, an vlcus ap-  
 pellem, certe bonarum et utilium rerum ingestio-  
 ni, ex parte discentis, hoc oblitus atque renitur;  
 idemque, necesse est, serius oxyus, subito an paul-  
 latim, cum strepitu, an cum leni motu, tamen  
 aliquando negotia docenti reluctando facessere.

C 5


Hoe



Hoc siue vlcus, siue obicem, siue nodum dixeris, quamdiu non tangitur, satis bene apud discipulum omnia procedunt; obsequitur promte, disceit cum voluptate, flagrat audiendi studio, denique omnia recte agit. Sed simul hanc quasi chordam tetigeris, tum vero magna tempestas ac bellum inter ipsum et magistrum cooritur, in quo alterutrum necesse est vincere, sed uter vincat, magni ad institutionem ipsam interest. Hoc autem nihil aliud est, nisi prauitas illa naturalis, quae toti humano generi a prima Adami labe inhaeret, et in perpetua (siue maiori, siue minori) veri, boni, laboris, molestiae, obedientiae, auersatione ac fuga cernitur. Hoc igitur vlcus dum tu, seu potius illi noui generis humani doctores, qui te nobis plane immutatum dederunt, vel euitare, vel occultare volunt, maius et vlcerosius, ut ita dicam, faciunt. Scilicet nulla mala res, quae semel existet, ludendo, dissimulando, celando, tergiuersando, blandiendo, effici potest, ut non sit; incurriri, mulceri, abscondi, induci aliquandiu (neque hoc nimis diu) potest, funditus tolli non potest. Sed nimirum hic anguis in herba latet, illique sapientes tui aut ipsi dubitant de prauitate hominis naturali ad bona peragenda, aut admordum eam extenuant. Hinc tot apud eos laudes infantiae et pueritiae, hinc tot blandimenta, hinc tot in ipsa institutione ludicra interiecta, quae mortiones circa, quam doctos reddiderint; hinc denique tanta cautio, ne quid inuito puer tradatur, aut perfidacia et ignavia vi expugnetur, imo, ne quid

quid omnino de tota hac labe puer inaudiat?  
Sed, quid opus est his ineptis? Breuiori via utri li-  
cet. Perfringatur vi ferox et piger discentis ani-  
mus, sciat, sibi non ideo a summo rerum condi-  
tore vitam datam, ut perpetuis deliciis affluat;  
sciat, sibi non ideo laborandum esse, ut tempus  
fallat, aut ludo honesto vacet, sed ut laboret, hoc  
est, ut hominem se esse, non Deum aliquem Epic-  
ureorum sentiat. Fingamus vero, age, tibi in  
puerulo tuo omnia, ex animi sententia succedere,  
fingamus, eum omnia, quaecunque ei tradideris,  
ludendo satis accurate percipere, imo, demus ti-  
bi, eum vix tum fraudem tuam animaduertere,  
cum omne id, cuius caussa fraus haec abs te in-  
struxit est, apud eum plane effeceris, qualem tan-  
dem vitum nobis ac reipublicae te putabis aliquan-  
do tradidisse? Eum scilicet, qui postea, quidquid  
seriarum rerum in manus vicherit, nihil nisi iocum  
ac ludum putet, veluti ludum tractet, et quoties  
spem suam falli viderit (quod saepissime ei non  
poterit non accidere), aut animum despondeat, aut  
rem ludendo corrumpat. Itaque, si minister sa-  
crorum fuerit, incideritque in paullo obscuriora  
librorum diuinorum loca, ea vel iceleri pede  
transiliat, vel misere admodum ingenio suo di-  
vexabit, quia eum lectionis aut meditationis diu-  
turnae taedebit. Si fuerit iure consultus, et volu-  
mina spissa controversiarum ciuilium ante se posi-  
ta viderit, vel horrebit ad adspectum eorum ipsum,  
vel certe obiter ac perfusione percurret, ut litem  
clienti perdat. Si medicam artem fuerit profes-


sus,



sus, et intricioris morbi forte aegrotum nactus,  
nac ego magno pretio haud inducar, vt hic aeger  
sim; quippe cui de vita magnopere metuendum  
sit. Et quamvis, etiam hac in re, aetas atque an-  
ni non nihil immutent, tamen prima aetate as-  
sumta vitia deinde difficilime reprimuntur, nec  
nisi infinita molestia vis eorum paullulum infrin-  
gitur, exui quidem plane nunquam possunt. Ha-  
bes itaque, Fundane, *primum* viae tuae nouae vi-  
tium, quod cernitur in hoc, vt nulla plane in ea  
ratio habeatur corruptionis animorum, quae in  
aetate puerili se maxime solet exferere, et cuius  
mali effectus, si quidem velis operae pretium fa-  
cere, ante omnia erant coercendi.

Veniamus ad *alterum*, quod, mea quidem sen-  
tentia est in eo, quod illa ratio non omnibus in-  
geniis puerilibus, sed magnis tantum, hoc est,  
paucissimis, conuenit. Magna autem intelligo ea,  
quae et curiosa sint sciendi, et, quidquid audie-  
rint, celeriter arripiant, idemque fideliter retine-  
ant, quae causas omnium, quae iis tradas, scisci-  
tentur, varias hinc inde dubitationes proponant,  
neque solutione earum quacunque contenta sint,  
sed semper ulterius rimentur, donec ad fundum  
quasi quaestionis peruenient, remque totam in  
potestate habeant, adeo, vt aequalibus vicissim  
tradere vtcunque possint. Haec ingenia quemad-  
modum in quacunque docendi ratione, vel in  
pessima, semper proficiunt, ita etiam in tua, con-  
tentaneum est, non adeo multum detimenti ca-  
ptura.

ptura. Quid quid enim eis, aut a quacunque parte proponas, semper applicando suum faciunt, et, quidquid vel obiter monueris, id, quasi globulos argillaceos in maceriem coniicias, ita semper inhaerere in iis solet. Itaque cum his per omnes et linguas et disciplinas, non tam ire, quam currere, imo ruere et volare tuto poteris, nec verendum est magnopere, ne te alicubi destituant. Sed haec, ut dixi, sunt longe paucissima, et vix centesimam reliquorum partem conficiunt. Quid iam fiet de ordinariis, hoc est, mediocribus? Quid de stupidis, et, ut ita dicam, plumbeis, quibus, antequam nudum vocis sonum memoriae imprimant, vicies aut tricies eadem verba, eodem ordine, nulla syllaba transposita, occinenda sunt, ne rursus elabantur; et, cum ab hac tandem parte tutus sis, tum demum ad rei explicationem veniendum est, ubi nouus denuo labor ingredieundus, ante, quam propositam rem ab alia paullum modo discant distinguere, et tamen periculum est, ne vel sic multiplex oriatur confusio, aut noua obliuio verborum. De his, inquam, quid fiet, si noua tua via cum iis ad Latium tendas? Quot passus uno mense conjecturum te putas? Si hodie elephantum in tabula pinxeris, eiusque partes omnes, caput, pedes, proboscideum, barritum, mores, docilitatem, curiosissime iis enarraveris, cras aut oblii sunt nomina Latina, aut, si haec ab integro inculaueris, perendie res ipsae exciderunt, ut in orbem quasi, per aliquod tempus, exercitatio tua redeat, donec ad alia pergere  
tuto




tuto possis. Rides, vt video, ac dubitas, tam  
plumbea vsquam ingenia in pueris esse posse, ne-  
que ego hoc miror, tibi accidere; haec enim non-  
nisi experti credunt, et in usum ipsum delati. Ac  
tu profecto aliquando credes, cum, quod et opto,  
et auguror, ad scholam publicam accesseris.

Sed haec ipsa scholarum publicarum intentio ad-  
mouet me de *alio* nouae tuae rationis vitio, quod  
statim indicabo. Etenim ea, si quid modo prae-  
clari efficit, videtur id mihi tantum in institutio-  
ne priuata efficere, neutram in publica. Nam  
vbi unum, aut paucos certe pueros habeas tibi  
concreditos, quibus linguarum elementa instilles,  
multas simul habes commoditates, quibus prae-  
ceptor publicus destituitur. Potes per totum diem  
aspidere tuis discipulis, potes prandendo, coenan-  
do, ludendo, deambulando, sexcenta obiter iis  
tradere, quae horis certis ac destinatis aequa com-  
mode fieri nec solent, nec possunt; potes eadem  
diuersis modis inculcare, potes vitia sermonis ex-  
templo corriger, et meliora fuggerre; potes, si  
quid forte incommodi in illa tua ratione obser-  
vando animaduerteris, statim immitare, imo po-  
tes denique eam totam soli discentis ingenio quo-  
dammodo attemperare. Sed in schola publica  
longe alia res est. In hac tanta est varietas inge-  
nierorum, vt, si sola excitatoria sequare, tarda et  
hebetia multis post te parasangis relinquas; si  
tardiora praeferas, vicissim viuida otio marcescant;  
vt neutris satisfacere possis. Itaque in talibus  
scholis,

scholis, ut neutris desis, alia via conuenientior  
 quaerenda est. Ea profecto non alia est, nisi illa  
 vetus, qua nos omnes Latinam linguam didicimus,  
 quae per artem Grammaticam dicit, et legendo,  
 obseruando, percontando saepius, et inculcando  
 tritissima quaeque, continetur, ut tardiores subse-  
 qui possint. Eadem vero etiam latius, si opus sit,  
 potest aperiri et quasi expandi, ad miscendis rario-  
 ribus et selectioribus obseruationibus, ut etiam pro-  
 vectiora et excitatoria ingenia habeant, quod  
 agant. Dices, hanc ipsam ingeniorum in scholis  
 publicis diuersitatem ac varietatem commendabi-  
 liorem tuam nouam rationem facere videri, quo-  
 niam aemulationem generosam excitet, quae in pri-  
 vata institutione fere cesset. Speciosa oratio est,  
 sed recte attendenti nihil minus. Nam in agro  
 pisces, aut in mari lepores quaesierit, qui in scho-  
 lis publicis generosam aemulationem in plurima  
 parte (per pauca quippe excipio ingenia) quaesierit.  
 Quem enim, quaeso, in finem constitutae scholae  
 publicae sunt, nisi in hunc, ut omnis generis, or-  
 dinis, conditionis, indolis, educationis fortuna-  
 rum, pueris et adolescentibus, aequali sumtu, ad  
 pietatem, doctrinam et honestatem morum adi-  
 tus patescat, cum quidem paucissimi parentes in  
 tanta re constituti sint, ut praeceptorem domi alere  
 pecunia sua possint? Quid ergo aliud in schola pu-  
 blica quaeres, nisi faecem quasi ac sentinam rei-  
 publicae, quae ingenia plebeia, mores plebeios,  
 consuetudines, iudicia, colloquia, nihil denique  
 non plebeium secum ad eas afferat, et per caete-

TOP




ros condiscipulos diffundat? Vnde miraculi genus solet existimari, si quando vnum et alterum in hac turba erectionis indolis puerum praceptor animaduerterit, quem caeteris ad imitandum proponat. Vides ex his, Fundane optime, non posse aemulationi generosae in schola publica admodum, certe tantum, quantum tu forte putas, confidi. Sed sunt, scilicet, alia et grauiora commoda, quibus institutio publica, quam priuata, est instruētior; haec vero huius loci non sunt, sed eiusmodi tamen omnia, quae tuam nouam docendarum linguarum rationem minime adiuuent, imo, quae in multo maiorem utilitatem in veteri illa, quam in tua, praestent.

Neque vero haec sola huius tuae viae vitia sunt, quae modo commemoraui, sed plura et maiora restant, de quibus iam deinceps mihi dicendum erit. Scilicet in itinere aliquo graui suscipiendo, si quis optionem habeat duplicitis viae, quarum altera breuior sit, sed eadem salebrosa et periculi plena, altera longior illa quidem, eadem vero etiam multo tutior, nemo, opinor, dubitauerit, longiorem praeferre, et vel maximis ambagibus illius alterius pericula redimere. Iam vtriusque docendi viae, de quibus hoc loco agimus, veterem illam dico longiorem, sed tuiorem, hanc tuam vicissim breuiores quidem, sed eandem intutam esse. De breuitate quidem eius adeo non dubitari potest, vt ex hac potius omnis illa speciosa iucunditas repetenda sit, qua sibi aditum ad magistrorum

frorum et parentum, animos facere solet. Quem  
 enim, quaelo, non alleget dulci haec spes, par-  
 vo labore, exiguoque tempore tantundem, imo  
 longe plura et utiliora puerum aliquem non plane  
 hebetis ingenii posse addisere, quam in veteri  
 ratione, annis duplo vel triplo pluribus, incredibili  
 cum labore et nausea, sibi scientiae coimparet? Et  
 paene infantem, hac noua via progressum, ratio-  
 nem reddere posse eorum, quae, si in altera in-  
 stitutus sit, paene vir factus adhuc ignoret? Haec  
 sane ita aperta sunt, ut in sensu paene incurrit.  
 Sed, quod vulgo per prouerbium aiunt, idem haec  
 quoque in re valet: NON, QVAM CITO, SED,  
 QVAM BENE; neque tam videndum est quam  
 breui tempore puerulus tuus Latine loquatur. seu  
 deblateret potius, quam, de quibus rebus, quid,  
 et quomodo loqui possit? Certe quantumuis ei  
 facultatis in flectendis vocibus Latinis tu compara-  
 veris, tamen illa Latinitas erit maxime barbara,  
 quam ne Langobardorum quidem quisquam intel-  
 leixerit, nedum, ut ad litterarum studia vsum ali-  
 quem asserre possit. Eiusdem enim furfuris est  
 cum illo sermone Francico, quo apud nos mu-  
 lierculae Franco-gallice in familiis diuitum in-  
 fantes vtriusque sexus, vix quadrimos, animi sui  
 sensa, per merum colloquendi vsum docent ex-  
 ponere. Quid igitur erit, quod puerulus tuus te-  
 cum Latine loquetur? Scilicet, quomodo te habeas?  
 quaeret, quomodo dormieris? — Hodie nubilum  
 caelum esse — cras te forte secum exspatiatu-  
 rum. — Quaeso te, preeceptor fidelissime, pin-

D


gas



gas mihi in tabula crocodilum. — *Hic non croco-*  
*dilus est, sed elephantus.* — *Agnosco astnum e-*  
*longis auribus.* — *Hic est sacerdos Lutheranus;*  
*habet enim collare, et nigrum vestram talarem etc.*  
 — Nominabit tibi ad vnguem omnia genera ci-  
 borum, pecudum, auium, piscium, instrumen-  
 tum, frugum, lapidum, et quid non? Posset La-  
 tine panem, carnem, butyrum, caseum, et omnia  
 omnino, quae oculis cerni, auribus audiri, ac ma-  
 nibus palpari possunt. Sed quantam tu, quaeso,  
 in his putas inesse sapientiam? An forte hac ver-  
 borum aut rerum farragine continetur scientia ve-  
 rae Latinitatis, aut omnino cuiusquam linguae hu-  
 manae? Ita profecto vnaquaque Romae quon-  
 dam ancilla doctior fuit Manutius, Muretis, Bern-  
 bis, Sadolexis, Grotis nostris omnino omnibus.  
 Quod si concesseris, linguae vim et copiam sum-  
 mam cerni non tam in notionibus singularum re-  
 rum, quas *notiones concretas* nunc philosophi vo-  
 cant, quam in vniuersis, quas *abstractas* dicunt,  
 quae mente solum et cogitatione intelliguntur, et  
 in apta earum coniunctione, hoc ipso, omnem il-  
 lam Latinitatem nullius momenti esse, simul con-  
 cessisti. Sin vero nondum concedis, facias, quaeso,  
 periculum vnum itemque alterum in tuo di-  
 scipulo. Iube eum aliquot verba, quae tecum  
 collocutus est de re quacunque, in tabula, aut in  
 charta scribere. Monstra, scio, verborum vide-  
 bis, non verba, ad quae coniicienda, quid sibi ve-  
 lint, Oedipo opus habeas, tam falsas et absurdas  
 litteras ac syllabas pinget. Aut, si hoc nolis, in-  
 cipe



cipe cum eo colloqui de virtute, de vitio, de attributis rerum, de veritate aut falsitate, imo (nemini difficultia ab eo videamur requirere) narrare historiam veteris aeui quamcunque. Egitare non poteris, quin, inter aliquot nomina propria et appellativa, quorum notio in sensus incurrit, quam plurima simul occurrant vniuersa et communia. Haec discipulus ille tuus, scio, neque intelliget neque imitabitur, sed aut breuiter, in repetendo, transfliet, aut omnino pisce quoque mutiorem tibi se exhibebit. Aut denique, si neutrum placuerit, postquam alius auctoris locum tuis ipsius verbis cum eo communicaueris, statim ei locum ipsum, aut certe similem in libro ostende. Vehementer mirabor, si eum ille intellexerit, certe agnoverit. Ex quibus planissime, ut arbitror, vides, Fundane mi, etiam si incredibili cum celeritate verba Latina effundat tuus ille puerulus, tamen id omne non multum habere ad Latinitatem momenti. Esto, dices, nihil magnopere haec exercitatio ad veram Latinitatem referat, tamen eatus referet, quatenus puer familiaritatem aliquam cum ipsa lingua contrahit. Sed hoc ipsum tibi nego: etenim ad intelligendum et ad scribendum haec colloquendi consuetudo parum aut nihil valet, qui tamen duo potissimi nunc sunt fines omnis Latinitatis; atque ego totam Romanorum linguam ne viuis quidem assis aestimarem, nisi esset primum lingua communis doctorum hominum omnium, deinde exulta maximorum et praestantissimum totius orbis ingeniorum stu-




diis ac litteris, tum quotidie in ea scriberentur libri doctissimi, denique per se ipsa aptissima esset ad omnis generis cogitata, cum aliis scripto communicanda. Ad poscendum quidem cibum ac potum, ad sciscitandum de alterius valetudine, aut de aëris tempestate aliquosque huiusmodi vulgares vitae humanae usus, abunde, et plus, quam abunde sufficit mihi lingua vernacula. Quod ipsum etiam in pueris statuendum erit. His enim non ad ludum, et iocum, non ad ostentationem, non ad vulgaria futurae vitae colloquia lingua Latina addiscenda, sed ad instrumentum parandae olim seuerioris doctrinae, quam maturimne fieri possit, assumenda est. Itaque, cum tanti momenti hoc sit, neque taedere vel magistrum, vel discipulum debet longioris viae, sed haud paulo tutioris, hoc est, eius, quam maiores nostri calcarunt. Et, ut minus adhuc mireris, vide, quae-  
 fo, naturam ipsam, seu conditorem potius natu-  
 rae sapientissimum. Num is tibi videtur, in ad-  
 ministrando hoc vniuerso, ad consequendos fines,  
 breuissima quaque semper via vi, an potius lon-  
 gissima, eaque tutissima? Quantilli, ut hoc uno  
 vtar exemplo, laboris ei tu putas futurum fuisse,  
 rem ita moderari, ut nos homines, omnes ac sin-  
 guli, statim grandes nasceremur? Quod si feci-  
 set, hem! quantis ille parentum curis, vigiliis,  
 sollicitudinibus, aerumnis pepercisset! Breuissi-  
 ma certe haec quidem via fuerat futura. Sed  
 non fecit, quod facilime poterat, quia noluit;  
 noluit autem, quia videbat, ea ratione, qua nunc  
 nasci-

nascimur, multo quidem tardius nos ad adolescentiam et senectutem peruenturos, sed eadem tamen etiam multo melius ac tutius fines, quos sibi proposuisset, attingi posse. Ita enim profecto est: quae tardius fiunt, longiorem temporis moram sibi postulant, eadem vero etiam altius inhaerent, firmius retinentur, et diutius durare solent, cum, quae cito fiunt, aequo cito periire confueuerint. Et quid, malum, fesslinamus adeo in pueris, tanquam eos oporteat anno aetatis decimo bonarum artium iam doctores esse, undecimo vxores ducere, et decimo tertio rursus e vita decidere? Nonne illi ipsi viginti anni, quos pueritiae et adolescentiae prouidentia diuina attribuit, et memoriae ingenique his annis maior, quam iudicii, vis, admonere nos debebat, ut memoriam eorum, hanc rerum ac verborum omnium quasi penariam cellam, quanta fieri posset, rerum et verborum copia repleremus, ut, decrescentibus deinde his facultatibus, iudicandi vis tanto plura parata sibi offenderet, in quibus versari ipsa posset? Quid igitur querimur, hos annos, (qui sane pretiosissimi sunt) inani verborum disciplina et torquenda miserorum horum memoria, per eiusmodi quisquilias consumi, quorum nullus fere per totam reliquam vitam usus sperari possit, rerum autem utilium perceptione vacuos relinqui? cum nihil omnino sit, quod melius et commodius his annis agi possit, quam illud ipsum, quod hucusque a prudentibus magistris omnibus actum est?

D 3


Sed



Sed opportune *rerum scientiae* mentio a me  
iniecta admonet, ut in magnificam illam scien-  
tiam paulo penitus inquiram, quam tu, (sed non  
tam tu, quam noui isti doctores tui) ubique cre-  
pant, se pueris pro vili verborum scientia et ina-  
tibus Latinae linguae flosculis, tam breui tem-  
pore tradituros; cui etiam nouum insuper et  
inauditum *realis cognitionis* nomen imposueret.  
Quaenam igitur sunt illae magnae res, quas, cum  
iuuenes ac viri interdum nesciant, pueri decem  
annorum ad vnguem, idque sine difficultate, per-  
didicerint? Scilicet rerum naturalium ingens nu-  
merus, artium mechanicarum notitia, instrumenti  
opificum, et operis rustici accurata cognitio, et  
quae forte alia sunt huius generis. Iam dic mihi,  
quaeso, Fundine, quidnam puero verae vti-  
litatis afferat, si omnia omnino omnium farto-  
rum, futorum, pistorum, fabrorum, mutriorum,  
tornatorum, textorum, lignariorum, instrumen-  
tum, malleos, forpices, forcipes, forcipes, dolabris  
acus, sellas, omnia eorum articia, ad amissum  
cognouerit, et copiosissime possit describere? Si  
per occasiones commidas harum paullatim queat  
aliquam sibi notitiam comparare, neutquam id  
equidem reprehendam, immo ipse hoc scientiae,  
oblata opportunitate discendi, tanquam animi ca-  
riosi pabulum non illiberale cupiam adseiscere.  
Sed partem doctrinae seu eritis hanec, eamque ne-  
cessariam, et quidem puerulis, venditare, hoc in  
mentein venire viro prudenti posse, vix, ut cre-  
dam, a me impetrauerim. Quid, quaeso, detri-  
mentum

menti capiet respublica sacra aut civilis, si, quot et quibus partibus insectum animal quodcumque constet, aut, quot genera lapidum sint, puer tuus aut plane aliquando ignorauerit, aut vicesimo demum aetatis anno ex naturalis scientiae doctore Academico didicerit? Certe non maius, quam, si formulas aliquot ex antiquitate Romana aut Graeca nesciret. Et tamen hoc erit emendare rationem instituendae iuuentutis, si pro his quisquiliis (falso *verborum scientiae* nomine traductis) alias quisquilias, *rerum scientiae* superbo titulo ornatas substituerimus? quatum aut nullus omnino, aut exiguis per totam vitam, ad virum eruditum, (nam de his loquor, non de futuris opificibus aut rusticis) usus redundet? Nihil adhuc dixi de malis huius *rerum scientiae*, sic dictae, ad pueros ipsos fructibus. Inflare enim eos mire solet inanis de magnitudine et grauitate scientiae suae opinio, auget fastum πολυτελείαν, auget studium rixandi cum aliis, auget denique contemnum aliorum aequalium, maxime in Academiis, quos illi corticem modo doctrinae attigisse in scholis inferioribus, se autem solos ad nucleus penetrasse, id que iamdudum, existimant.

Ex his apparere arbitror, quale de ista rerum scientia, pueris per ludum et iocum instillanda, iudicium ferendum sit? neque esse magnopere, quod veteri tradendarum linguarum rationi *verborum* curam et inculcationem illa multum obiiciat. Quid enim prohibet, quo minus prudens magister




(nam cum imperitis et ignavis mihi iam non est negotium) qui ex veteri ratione linguam Latinam tradat, iam tenerimis annis *res ipsas* tractare incipiat, et eas quidem, quae captum pueri non superent, h. e. descriptionem orbis terrarum, res in orbe gestas, quaedam faciliora capita Malhefeos? Id que, (sicuti tu optabas) non data opera, et horis destinatis, sed per suppeditatas occasiones lectionum Latinarum faciat? Non tu putas, per occasionem Cornelii Nepotis omnem fere historiam Graecam, Epistolarum Ciceronianarum, omnem fere reipublicae Romanae veteris formam, Orationum Ciceronis quaundam, potissima eloquentiae praecepta, Poëtarum, magnam artis poëticae ac Prosodiae partem simul tradi discentibus posse? In quo simul haec erit opportunitas, ut, *primum*, vnaqueque res proponatur loco suo et aptissimo, hoc est, cuius recordatione aut repetitione animo discentis facilissime rursus occurrat; *deinde*, vbi res primum occurrit breuiter tantum delineari, vbi iterum, repeti et plenius explicari, vbi tertium, denuo, pro discentium captu, augeri et incu'cari possit. Et hanc linguae Latinae tranduae viam, adhuc dicere quisquam audebit non ad rerum utilem, sed ad verborum inanem scientiamducere?

O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
doctores scholarum, maxime, si arte illam probe perdidicerint, qua utile dulci miscetur, et, pro varietate ingeniorum, varie tatem quoque rerum ac  
verbo-

verborum in promptu habeant, ut neutra ingenia,  
neglecta se fuisse, iure queri possint.


Erant adhuc, Fundane, quae nouae isti rationi  
vellem obiecere ex eo, quod linguae Graecae,  
vnius omnium praestantissimae, nullam plane  
mentionem fecisti, sine qua ne nomen quidem  
viri docti tueri quisquam potest, et cuius cultura  
Latinae culturam cum primis adiuuat, adeo, ut  
coniuncta vtriusque institutio faciliorem vtriusuis  
perceptionem reddat. Sed quoniam de ea ma-  
xime lingua inter nos disputatio est, a qua ini-  
tium discendi apud pueros fieret, ac, si quis forte  
a Graeca inciperet de via eius tradendae eadem  
ipsa quoque valerent, quae de Latina dixi, nihil  
nunc quidem amplius, animus est, adiungere.  
Atque etiam ipse labentis diei adspectus, et, ab-  
sconso sole, ingruens crepusculum, aerque paulo  
frigidior admonere me iamdudum debebat, ut fi-  
nen faciem dicendi. Vos autem, amici optimi,  
rogatos cupio, ut, quae ego attuli, non cuius-  
quam carpendi studio, sed veritatis causa, et ex-  
pertum credatis, me attulisse, tibique in primis,  
Fundane, persuasum cupere, quidquid difficulta-  
tis nouae tuae linguarum tradendarum rationi  
obieci, tibi etiam atque etiam considerandum  
fore, idque eo magis, quoniam Philanthropi no-  
stri liberorum, aniabili admodum indole praedi-  
torum, salus ea in re versatur. Tu vero, Phi-  
lanthrope, ut pollicitus ante nobis es, auditoris  
officio, satis bene ac patienter defunctus, iam iu-  
nctus



dicis, seu arbitri potius partes suscipies, et, utrius sententia tibi verisimilior visa sit, indicabis.

Tum ille, ad me conuersus: Non mentiar profecto, inquit, si, quemadmodum tu paullo ante, quinquam ab initio, spe demouendi ab sententia sua Fundani, contra differendi negotium suscep-  
ras, tamen, postquam eius orationem disertam au-  
dieras, statim alienior a proposito isto factus es,  
ita et ego, postquam utrumque vestrum audiui,  
poenitentiam promissi mei nonnullam persentisce-  
re me dicam coepisse. Nam et Fundanus noster,  
aduersus quem paululum animo occupatus access-  
seram, speciosius multo sententiam suam mihi vi-  
fus est tueri, quam putaram, et tu amice optime,  
veteris docendi rationis partes ita egisti, ut, cum  
iam ante in tuam sententiam esse proclivior,  
nunc plane confirmatus in ea mihi ipse videar.  
Verum enim vero est, ut dixi, res anceps et dubia  
ad dijudicandum, non tam cuicunque alii, opinor,  
quam iis, quibus non licet neutrarum esse partium,  
sed quibus alterutra eligenda est necessario, hoc  
est, qui ipsis liberos habeant, quorum hac in causa  
res et salus versentur. Interim, si dicendum est,  
quod sentio, dissimulare non possum, me, qui ante  
hos decem annos cum Fundano haud dubio con-  
fessillem, eundem nunc, postquam ipse liberos,  
non malae (quae Dei O. M. est benignitas) indolis  
suscepi, magis in tuas partes inclinare, non,  
quod Fundani viam per se deteriorem censem,  
sed, quod incommoda illa, quae tu cum eius noua  
ratione

ratione coniuncta esse docuisti, in meis ipsius lib  
 eris vera, atque iudicis veriora deprehendam.  
 Quapropter, pace vestra, hanc disputationem ita  
 quam aequissime dirimi posse existimem, ut no  
 tam illam rationem non nisi *primum* in priuata  
 institutione, *deinde* in ingenii magnis et viuidis,  
*tum* in perpetuo cum altera et veteri illa consor  
 tio, *denique* cum surima in singulis causis cautio  
 ne, ad liberi sine periculo posse censem; caete  
 rum illam veterem, quae adhuc in publicis scholis  
 viguit, ordinariam ac vere regiam viam esse, imo  
 mensuram usque ad finem rerum humanarum,  
 audacter profitear, quam maiori turbae et plebi in  
 geniorum ad veram et accuratam doctrinam con  
 tendendum sit; quam qui loco nunc mouere, et  
 non amplius substituere conantur, ut quam lenis  
 sime dicam, quid sibi velint, non intelligunt. Ne  
 que ea, quae illi in veterem formam euomunt,  
 tam in ipsam cadunt, quam in eius usum peruer  
 sum, et ineptos scholarum publicarum ac priua  
 tarum magistros, quos et superius, et hoc nostrum  
 saeculum largo prouentu tulit. Redit igitur res  
 omnis ad peritiam docentis ac prudentiam, qui, in  
 nullius legis aut magistri verba iurans, in quolibet  
 puer, in quolibet auctore, quolibet loco ac  
 tempore, in qualibet denique lingua aut disciplina  
 tradenda ipse videat, quid sibi faciendum, aut  
 omittendum sit? Qualem cum te, Fundane, sim  
 natus, pro certo scio, nihil periculi liberorum  
 meorum vel animo, vel moribus, vel etiam do  
 ctrinae ab tua institutione fore, siue veterem, siue  
 nouam



nouam secutus fueris, siue denique, quod malum,  
vtramque linguarum tradendarum rationem inter-  
se coniunxeris? Equisd est, Fundane, quod ad  
haec moneas?

Tum ille subridens: Nihil magnopere, inquit,  
est, quod dicam, nisi, quod non satis quidem hic  
(me autem demonstrabat) a me impetrat, ut no-  
vam docendi viam incipiam odisse; sed hoc tamen  
cogor fateri, splendori eius, animo meo ab inupe-  
ro illo itinere obuersanti, huius oratione aliquam  
ribuculam inductam hodie fuisse. Si hoc est, in-  
quam, vicimus, Fundane: ac caetera deinceps  
sua sponte consequentur. Haec cum dixisset, ri-  
dentes consurreximus, et amplexi nos inuicem, da-  
tis amicitiae verissimae osculis, in suum quisque  
cubile recessimus.



78

56.

vol 18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0  
Centimetres  
Inches

ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΣ,  
SIVE DE  
**INSTITVTIONE**  
PVERILI  
**DIALOGVS,**

IN QVO NOVA LINGVARVM TRADEN-  
DARVM RATIO, NVPERRIME COM-  
MENDATA, EXPENDITVR.



---

LIPSIAE,  
apud FR. GOTTH. IACOBÆER et Fil.  
MDCCCLXXVII.  
**FUNK.**